

Expositio Georgii Ragusei super *Artem brevem* Raymundi Lullii

<1r>Incipit expositio Georgii Ragusei super artem brevem doctoris illuminati magistri Raymundi Lullii, quae est ad omnes scientias introductoria.

PROEMIUM

Post expositionem completam anno praeterito super formalitatibus Scoti, accedo ad explicandum fontem, a quo omnes scientiae et disciplinae effluunt.

Scias imprimis, studiose lector, quod nihil aptius et conventius ad doctrinam Scoticam acquirendam et optime callendam reperiri potest, quam haec ars Raymundi Lullii; omnia enim quae apud Scotum dicta sunt, prius a magistro Raymundo declarata fuere; immo tota vis et totus nervus doctrinae Scoticae fundatus est super hanc artem. In ea enim (ut videbis) reperiuntur termini, distinctiones, abstractiones, relationes, modi relationum et quicquid in qualibet scientia contingit, vel per compositionem, vel per divisionem intelligere. Adde, quod, ut legitur in approbatione huius artis, Scotus fuit auditor magistri Raymundi (si tamen per Scotum non interlligerent alium Scotum nominare, quod non credo, praesertim propter maximam <1v>conformitatem, quae est inter doctrinam Scoti et artem Raymundi).

Stude ergo, lector iucunde, huic arti Raymundinae et ne verearis pauco temporis intervallo te in omnibus scientiis et praesertim in doctrina Scoti fundatissimum non evasurum.

De ratione componendi hanc artem, de eius subiecto atque divisione caput 1.

Composuerat Raymundus *Artem* quandam *generalem*, in qua mirabili ordine et doctrina de omnibus scientiis disputarat; itaque ipsa cognita facillime de qualibet re proposita unusquisque poterat respondere. Verum, ut firmiori fundamento ab omnibus sciretur, voluit Raymundus tradere nobis scalam et additum, ut facilius eam intelligere possemus, et exposuit hanc *Artem brevem*, quae est imago *Artis generalis*, quia omnia quae in illa diffuse tractavit, in ista brevissimo sermone declarantur.

Dicit Raymundus quod subiectum huius artis est respondere de omnibus quaestionibus, supposito quod sciatur, quid dicitur per nomen.

<2r>Vult dicere, quod subiectum huius artis sunt omnia, quae possunt cadere sub intellectus nomine, de quibus facillime nos possumus respondere, quando tamen res de quibus interrogamur sint nobis cognitae saltem per suam diffinitionem; ut si quis peteret a me aliquid de animali, quia scio quod animal est substantia animata sensibilis, statim ei narrarem et illius quidditatem, proprietatem, compositionem et omnia quae ipsi competunt, faciendo discursus per differentias et concordantias; quia differunt animal rationale et irrationale, et differentia est tractare de animali ut animal et de animali ut hoc animal. Corpus autem et anima uniuntur per concordationem in animali, ut declarabitur.

Dicamur primo quod subiectum huius artis seu scientiae est omnis res scibilis sub hac ratione formali: disputabilitatis, adeo quod omnis res scibilis est subiectum quod et disputabilitas est subiectum quo.

Dividitur autem huiusmodi ars in 33 partes: pars 1. de alphabeto, 2. de figuris, 3. de definitionibus, 4. de regulis, 5. de tabula, 6. de evacuatione tertiae figurae, 7. de multiplicatione quartae figurae, 8. de mixtione principiorum et regularum, 9. de novem subiectis, 10. de applicatione, 11. De quaestionibus, <2v>12. de habitatione, 13. de modo docendi hanc artem.

Prima pars

De alphabeto caput unicum

Nota quod positus est alphabetus in hac scientia, ut intellectus per illud fiat generalis ad omnia scibilia. Nam per litteras contentas in alphabeto significantur multa generalia, cuiusmodi sunt praedicata subiecta generalia, et multa alia huiusmodi, quae ab intellectu in esse intelligibili producentur si alphabetus illud erit optime memoriae mandatum. Nam sine eo non potest artista uti hac arte.

Alphabetus est hoc

B significat bonitatem, differentiam, utrum, Deum, iustitiam et avaritiam.

C magnitudinem, concordantiam, quid, angelum, prudentiam et gulam.

D durationem, contrarietatem, de quo, caelum, fortitudinem et luxuriam.

E potestatem, principium, quare, hominem, temperantiam et superbiam.

F sapientiam, medium, quantum, imaginativam fidem et accidiam.

<3r>G voluntatem, fines, quale, sensitivam, spem et invidiam.

H virtutem, maioritatem, quando, vegetativam, charitatem et iram.

I veritatem, aequalitatem, ubi, elementativam, patientiam et maendacium.

K gloriam, minoritatem, quomodo, cum quo, instrumentativam, pietatem et inconstantiam.

Secunda pars

De prima figura caput 1

Prima figura est circularis, et componitur ex 9 litteris alphabeti praenominati, in quibus litteris sunt 9 transcendentia, per modum abstracti, et per modum concreti, sicut bonum, bonitas, magnum, magnitudo, et sic de aliis.

Haec figura ideo ponitur circularis, ut fiat mutatio subiecti in praedicatum, ut dicendo: bonitas est magna, et e converso, sicut: magnitudo est bona.

Nota, prout habetur in auditu Kabbalístico, quod esse, est cum est praedicatum ad omnia haec principia, ut dicendum: esse est bonum, esse est magnum, et sic de aliis.

Contrarium (...) conversio scilicet simplex, ut dicendo: esse est bonum, <3v> per accidens, ut quando mutatur quantitas dicendo sic: omne ens est bonum, et per compositionem, ut quando mutantur termini finiti, in infinitos, ut dicendo non bonum est non ens, et cet.

Nota quod esse est praedicatum generalissimum ad omnia, quia sub ipso continetur bonum, sub bono ens, et sub ense substantia, et ens omne igitur bonum est esse, sed non e contra, et omne ens est bonum, sed non e contra. Ens enim non est bonum nisi per bonitatem ipsius esse, et esse non est bonum, nisi per suamet essentiam.

Nota quod quodlibet principium per se sumptum est generale, ut dicendo bonitas. Si autem contrahatur ad alterum, est subalternum, et non generale, ut dicendo: bonitas magna. Et si contrahitur ad aliquod individuum, tunc est specialissimum, ut dicendo: bonitas Francisci est magna. Ex isto intellectus potest invenire multa media tum generalissima, tum generalia, tum et specialissima, ad quamcumque conclusionem. Quoniam in his principiis reducuntur omnia quae sunt in mundo quae vel sunt bona, vel magna, et cet., et ita potest dici per oppositum vel enim sunt mala vel parva et hoc transcendentaliter.

<4r>De secunda figura caput 2

Secunda figura nominata per T componitur ex 3 generalibus triangulis, quorum primus est viridi coloris, qui continet 3 litteras alphabeti, scilicet BCD. Secundus est coloris rubei et continet EFG. Tertius est coloris crocei, et continet HIK. Triangulus viridis habet 3 angulos qui sunt differentia, concordantia et contrarietas. Et omnes isti 3 anguli sunt generales ad omnia, nam quicquid est, aut differt ab alio, aut cum illo concordat, aut alteri contrariat.

Quilibet istorum angulorum habet 3 species. Est enim differentia inter sensuale et sensuale, ut inter lapidem et lignum; inter sensuale et intellectuale, ut inter corpus et animam; et inter intellectuale et intellectuale, ut inter Deum et Angelum, et sic potest dici de aliis duobus angulis istius trianguli.

Triangulus rubeus habet 3 angulos, qui sunt principium, medium et finis, et omnes isti sunt generales; nam quicquid est, aut est in angulo principii aut in angulo mediii, aut in angulo finis.

In angulo principii reperitur causa, quantitas, tempus. Per causam intelliguntur 4 genera causarum, scilicet materialis, efficiens, formalis et finalis, et per causas praedicatum substantiae.

<4v>Per quantitatem et tempus, intelliguntur alia 9 predicamenta, ex quo patet quod angulus iste est generalis. Nam omne quod est, aut est substantia, aut accidens, et in isto angulo continetur et substantia et accidens.

In angulo medii sunt 3 species, sicut triplex est medium, scilicet: mensurationis coniunctionis et extremitatum.

Medium mensurationis est sicut coentrum, quod mensurat lineas quae exeunt ab ipso et terminantur ad circumferentiam circuli. Vel et medium mensurationis est actus egrediens ab agente in agibilem ut amor, qui aegreditur ab amante in amabilem.

Medium coniunctionis est illud quod existit inter subjectum et praedicatum, ut dicendo: homo est animal. Inter hominem et animal mediat corpus, substantia, ens, bonum, esse, vicia et cet. Omnia ista dicuntur medium coniunctionis.

Medium extremitatum est sicut linea quae mediat inter duo puncta.

Angulus finis habet 3 species, sicut triplex est finis, scilicet perfectionis, privationis et terminationis.

Perfectionis est ad quem omnia tendunt, ut grave deorsum, leve sursum, et sic de aliis, quia tendunt in suum finem in quo quiescunt et quietant.

Privationis ut mors, vel aliud simile.

Terminationis ut terminus regni, et ex puncto dicitur finis terminationis, quia sunt termini lineae, et ut amor qui terminatur in amante et amato.

Transkribirao Šime Demo